

- 4
6. Variabilitatem ordinis intelligemus fere, quando ponemus *Variationes κατέξοχλή* v. g. *Res IV. possunt transponi modis 24.*
7. Variabilitatem complexionis dicimus *Complexiones.* v. g. *Res IV. modis diversis invicem conjungi possunt.*
8. Numerum rerum variandarum dicemus simpliciter, *Numerum,* v. g. *IV. in casu proposito.*
9. *Complexio,* est Unio minoris Totius in majori, uti in prooemio declaravimus.
10. Ut autem certa *Complexio* determinetur, majus totam dividendum est in partes æquales suppositas ut minimas, (id est quæ nunc quidem non ulterius dividantur) ex quibus componitur & quarum variatione variatur *Complexio* seu *Totum minus*; quia igitur totum ipsum minus, majus minusve est, prout plures partes una vice ingrediuntur; numerum simul ac semel conjungendarum partium, seu unitatum, dicemus *Exponentem,* exemplo progressionis geometricæ, v. g. sit totum *A B C D.* Si *Tota* minora constare debent ex 2. partibus, v. g. *A B. A C. A D. B C. B D. C D.* exponens erit 2. si ex tribus, v. g. *A B C. A B D. A C D. B C D.* exponens erit 3.
11. Dato *Exponente* *Complexiones* ita scribemus: si exponens est 2. *Com2nationem* (combinationem;) si 3. *Com3nationem* (conternationem) si 4. *Com4nationem,* &c.
12. *Complexiones simpliciter* sunt omnes *complexiones* omnium, *Exponentium* computatæ, v. g. 15. (de 4. Numero) quæ componuntur ex 1. (Unione) 6. *com2natione*) 4. (*com3natione.*) 1. (*com4natione.*)
13. *Variatio utilis* (*inutilis,*) est quæ propter materiam subjectam locam habere non potest; v. g. 4. *Elementa* *com2nari* possunt 6. *mahl* sed duæ *com2nationes* sunt *inutiles,* nempe quibus contrariæ *Ignis, aqua; aer, terra* *com2nantur.*
- 5/ 14. *Classis rerum* est *Totum minus,* constant ex rebus convenientibus in certo tertio, tanquam partibus; sic tamen ut reliquæ *classes* contineant res *contradistinctas.* v. g. *infra probl.*